

191 Tercio agunt ad idem Nazarius, & Zumei, eodem modo se habet videns Deum, & eius intellectus cum lumine respectu visionis, quo se habent reliqua agentia cum suis virtutibus ad agendum, veluti Sol cum Luce, & ignis cum calore; at huiusmodi agentia non concurrunt, ut eadem partiales cum suis virtutibus; ergo neque intellectus cum lumine glorie. Respond. primo negando, pariter in maiori assumptam, quia calor in primo receptus ita se habet ad producendum alium calorem in subiecto extraneo, quod si ignis nullo modo concurreret, adhuc ipsum produceret, imo etiam per Dei potentiam esset ab igne separatus; lumen vero ita cum intellectu concurrat ad visionem, ut sine concurru intellectus seipso non sufficiat ad visionem producendam; deinde nego minorem, quoniam iuxta dicta dicitur, Phis. q. 6. ar. 3. n. 100. calor in ligno productus non solum procedit a calore ignis, sed etiam ab ipsa forma substantiali ignis immediate; Quod si teneatur opinio Thomistarum, substantiam non esse operativam alicuius accidentis in subiecto extraneo, sed tantum operari mediis accidentibus, atque ita calorem in ligno ad equum procedere a calore igni inherente, & nullo modo a forma substantiali eius, tunc rursus neganda est maior, quia in exemplis allatis calor est tota virtus califativa, & lux illuminativa, ignis autem, & Sol præcisè se habent, ut subiectum, calor, & lucis; at non sic se habent intellectus, & lumen, quasi intellectus præcisè se habeat, ut subiectum, & lumen sit ad equum principium immediatum visionis, sed se habet ad lumen glorie servata proportione, sicut se habet ad speciem in ordine ad actum cognitionis, ad quem potentia, & species immediate ex sua ratione concurrunt; alia argumenta ad hoc spectantia vide diluta supra n. 143. Solet hic disputari, an sicut intellectus elevari potest per potentiam obedientialem ad Deum videndum, ita quoque possit elevari oculus corporis; sed quoniam communis sententia est negativa, nolo circa hoc immorari, præsertim quia satis de hoc diximus disp. 4. de anima q. 3. n. 22. assignando conditiones obiecti potentiarum materialium.

QUESTIO SEPTIMA.

An perfectior intellectus cum equali lumine perfectiorem eliciat visionem.

192 **R**ati ducit hæc questio ex præcedentibus ubi dixi eximium intellectum virtus propriis, & naturalibus ad visionem cum principio supernaturali concurrere ipsum elevante; hæc disputatio solet, an ex hoc sequatur, ut possit tribuere aliquam maiorem perfectionem visioni ex parte sua iuxta maiorem perfectionem, quam ex se habere; & procedit questio ex suppositione, quod inter intellectus huiusmodi detur inæqualitas in perfectione individuali, vel inæqualitas etiam in perfectione specificata humanam, & angelicam intellectum, si hæc suppositio sit vera, si non; nam etiam si talis esset, adhuc remanet locus hæc questionis data hypothese, ut patet in aliis similibus. Non est autem hæc questio de maiori tantum perfectione entitativa, & materiali, quam gratis hic admittunt Ariaga, & Oviado, & consistit in hoc, quod visio perfectioris intellectus sit ex natura sua spectans ad perfectiorem intellectum, & consequenter ex tali ordine perfectior, quam visio minus perfecti intellectus, quamvis per unam obiectum non videatur clarius, nec plura obiecta possint per eam videri; tunc quia talis maior perfectio ad præsentem questionem est omnino impertinens, ut advertit Poncius disp. 4. qu. 10. n. 32, & de hac nunquam controversia fuit inter Thomistas, & Scotistas; tunc quia hoc quod est procedere a principio perfectiori non videtur aliquo perfectio for malis actionis, aut effectus, si tale principium non refundit aliquam maiorem, & intrinsecam perfectionem in actionem, aut effectum. Neque etiam est questio de maiori perfectione extensiva, id est, de perfectione visionis quantum ad videnda plura obiecta, ut Poncius admittit loc. cit. nam certum videtur ex potentia perfectiori non posse oriri perfectiorem visionem extensivè in hoc sensu, quia potentia, & cognitio determinatur ad hæc, vel illa obiecta per illum species, vel per ipsam obiecta, non vero per potentiam; Questio igitur est præcisè de perfectione maiori intensiva, & claritas in ratione expressionis, & imaginis, quo sensu solemus dicere, visum acutiorem perfectius videre obiectum cum equali lumine, quam debiliorem, que latitudo, & inæqualitas non est, nisi intensiva, qualis cernitur in aliis actibus vitalibus, & habitibus, siue sint naturales, siue supernaturales, qua ratione dicuntur, suscipere magis, & minus intensivè; unde eodem prorsus modo sentiendum est de perfectione intensiva visionis Dei, sicut in Philosophia tradidimus de intentione aliarum formarum, quod nempe consistat in multiplicatione,

& additionis graduum ejusdem rationis inter se. Hoc autem sensu declarata questio potest agitari, vel de factis, & secundum id, quod modo contingit, ita ut Beati mado habentes equalia merita, & lumen glorie, gratiamque equali, ratione inæqualis poterit duntaxat fieri habituri inæqualem visionem, & fruitionem; an solum id debeat concedi de possibili, & de eo, quod eveniret ex natura rei potentis, à Deo sua naturali æquitate relinquitur; quidem in hoc secundo sensu est controversia tantum inter Thomistas, & Scotistas, negativibus illis, & affirmantibus; in primo vero sensu est etiam inter Scotistas, quidem enim licet concedat de possibili, & de eo quod eveniret ex natura rei, posse intellectum perfectiorem cum equali lumine elicere perfectiorem visionem, id tamen negat de factis, alii vero nesciunt de possibili, sed etiam de facto contendunt, ita tamen se habere, ut perfectior intellectus cum equali lumine perfectiorem quoque eliciat visionem, adeo quod tres sententia hæc circumferantur. Prima est Thomistarum uno, vel altero excepto, assertentium, ex sola divina elevatione, seu lumine glorie determinari intensiorem visionem, ita ut ex equali lumine, quantumvis unum intellectus sit alio perfectior, non nisi equalis visio oriatur, & inæqualitas visionis ex lumine magis, vel minus intenso solum attendi debeat, quam carerent sequatur Recentesiores p. 1. q. 12. ar. 6. Zamel, Nazarius, Fasolus, Gonzalez dicitur sect. 2. Suarez li. 2. de divinis attrib. c. 21. Vasquez disp. 47. cap. 7. Lezana tract. 3. disp. 1. q. 7. Aversa q. 12. sect. 12. Amicus disp. 9. sect. 16. Turrian disp. 3. dub. 6. & seq. & alii passim. Secunda sententia assertit, quod licet ita sit de facto, at tamen de possibili, & absolute loquendo, sicut ab intellectibus equalibus cum inæquali lumine inæqualis oritur visio, ita ab intellectibus inæqualibus cum equali lumine inæqualis visio potest oriri; ita Scotus 3. d. 13. q. 3. & 4. d. 50. q. 6. cum omnibus Scotistis quoad rei possibilitatem, quod vero non ita sit de facto, sed solum de possibili docet Tartar. Averis loc. cit. Vulpes disp. 23. ar. 13. Sghema opus. cit. tit. 32. qu. ult. quia licet potentia perfectior ex natura rei possit intensiorem Deum videre cum equali lumine, at tamen de facto perfectio visionis in patria est iuxta mensuram, & meriti proportionem, sequuntur Molina part. 1. q. 12. ar. 6. disp. 2. Oviado, contr. 4. punct. 2. n. 26. & 26. & 28. & alii nonnulli. Tertia demum sententia assertit, nemum de possibili, sed etiam de facto à perfectiori intellectu cum equali lumine perfectiorem prodire visionem ita Faber in 3. disp. 32. ca. 2. d. 2. Smignis, to. 1. disp. 6. q. 6. Gallus disp. 2. sect. 3. ca. 3. Poncius loc. cit. Hiquous in 4. loc. cit. & sequitur Lufitanus lib. 12. qu. 10. ar. 3. f. 3.

ARTICULUS PRIMUS.

Deciditur Quæstio.

Dicendum est cum hæc ultima sententia, non solum de possibili, sed etiam de facto perfectiorem intellectum cum equali lumine glorie perfectiorem, & intensiorem producere visionem; Quoad primam partem de possibili, in qua conveniunt secunda, & tertia opinio, commune fundamentum est Scoti 3. d. 13. quest. 3. post medium, quod intellectus, tantum causa partialis per suam naturalem activitatem cõcurrit ad visionem, ut satis constat ex dictis; sed quod perfectior est causa partialis, tantò perfectior est effectus totalis ab illa, altera partiali causa procedens; ergo à perfectiori intellectu cum equali lumine glorie perfectior quoque progreditur visio; probatur minor, quia deficiente altera causa partiali activa deficit effectus, etiam si reliqua esset equalis; ergo excedente altera concursa, potest post se perfectior effectus, tunc quia hæc eadem ratione ab intellectibus equalibus cum inæquali lumine inæqualis oritur visio, ergo pari ratione ab intellectibus inæqualibus cum equali lumine inæqualis potest oriri visio. Conf. non minus propria virtute concurrat potentia naturalis, elevata a principio supernaturali ad actus supernaturales, quam ad actus principio naturali ad actus naturales, sed perfectior potentia cum equali principio naturali producat expressiores, & viviores actus naturales, nam nobilior intellectus cum equali specie intelligit perfectius intelligit, & visus corporalis acutior perfectius videt, quam debiliior cum equali lumine, ergo eadem potentia perfectior cum equali principio supernaturali elatiore, vivacioreque actus supernaturales producere poterit.

195 Prima Responso communis Thomistarum est, quod licet intellectus creatus habeat ad vitam nativam videndi Deum, per eam tamen videre nequit, nisi quantum elevatus à lumine, ac proinde per eam non agit, nisi juxta quantitatem elevationis per ipsum lumen factam, unde per æquale lumen, ait Suarez, sic ita equalis elevatio, ut juxta quantitatem elevationis se tenentis ex parte luminis agit intellectus, etiam si sit perfectior, & vigorosior. Contrà, quia, ut non semel dictum est

est in superioribus, quando dicimus potentiam non concurrere nisi ut elevatam ad actus supernaturales, non ita debet intelligi reduplicative, quasi elevatio, seu principium elevans sit tota ratio producendi visionem, & actum supernaturalem; sed in eo tantum sensu debet intelligi, quod concurrat, ut elevata, quantumvis non elevatur per principium supernaturale, non concurret; sed ex ea propositione sic intellecta non bene deducitur, quod per propriam virtutem non agit, nisi juxta quantitatem elevationis per ipsum lumen factam, nam ut hoc bene deduceretur, deberet ea propositio intelligi in primo sensu, in quo est positus falsum. Dices, quod licet lumen non sit intellectui tota ratio agendi, ita tamen est ratio agendi, ut vis intellectus regatur à lumine in influxu ad visionem, & determinetur saltem quoad modum agendi. Contrà, quia habitus nec determinat potentiam, nec ejus vim naturalem limitat, & coarctat, sed potius adjuvat, & roborat ad agendum; sed si virtus activa intellectus ita determinatur à lumine ad agendum, ut non possit attingere aliquem gradum, ad quem innatum habet facultatem, saltem inchoatum, tantum abest, quod diceretur per lumen adjuvanti, & sublevanti, ac roborati, quod potius diceretur, nervari, & coarctari; ergo neque in hoc posteriori sensu asserti potest, quod intellectus agat, ut elevatus à lumine, ita ut agere nequeat, nisi juxta quantitatem elevationis; tunc quia universaliter loquendo potentia utitur habitu, & non e contra, & potentia est illimitata habitu in agendo, quam e contra, & licet extendat, ut monet Doct. i. d. 16. qu. 2. i. quare potentia potius habi habitu subordinat in agendo, in qua e contra, Dices, ex hoc potius sequi oppositum, inde enim sequitur, intellectus se habere ad visionem, ut eam sicut universaliter ad effectum particularem, lumen vero concurrere, ut eam sicut speciale, ac causa universalis limitari, & definitur ad effectum juxta id, quod postulat causa particularis. Contrà, quia hæc indeterminate intellectus ad agendum non est passiva, sicut debet minari, & vel speciem determinat ad calorem sibi inherente, sed est determinatio activa, quæ dicit illimitationem virtutis in agendo ex Scoti i. d. 3. qu. 7. BB. cum quia licet perfectio specifica effectus respondere solent cause particulari, constat de Sole, cum Leone generare Leonem, nam generis perfectio respondet Leoni generati, qui est causa particularis, non Soli, qui est causa universalis, & sic etiam est de perfectione specifica huiusmodi, vel illius intelligentis, quod respondet speciei intelligibili intellectum determinanti ad hoc obiectum; gradualis tamen perfectio, de qua nunc agimus in hac questione, ut dixi ab initio, respondere solet perfectioni utriusque cause partialis, potest enim in visus corporeus cum eadem specie visibili, ac patitur intellectus, & voluntas cum eadem specie, vel habitu naturali, uno tempore potius, quam alio intensius operari, prout majori, vel minori conatu fuerit applicata ad operandum, magisque, vel minus impeditur.

196 Dices, potentia naturalis per habitus supernaturales saltem determinatur ad actus supernaturales, ad quos illa non habet nisi potentiam remotam, & inchoatam. Contrà, quia licet per habitus supernaturales determinetur potentia ad actus ejusdem ordinis, non tamen ad talem, vel tantam perfectionem gradualis; & quod si potentia inchoata, & incompleta, non tollit, quin dum per lumen compleatur, & elevatur, influxum suum naturalem non habeat, unde major, & minor claritas, seu expressio, potest etiam respondere potentia, non quia sine lumine possit à potentia produci, sed quia ipsa ex se talis est, ut semel hoc lumine instructa, perat producere visionem cum tali, vel tanta expressione, aut intentione cum qua illa non produceret alia potentia, sed cum minori. Dices, sicut nequit intellectus attingere visionem, nisi elevatus à lumine, ita nequit attingere tantam visionem, seu in tali gradu, nisi elevetur à lumine in equali gradu, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Contrà, quia etiam oculus in naturalibus nequit simpliciter videre sine specie visibili, neque intellectus sine intelligibili, & tamen adhuc perfectior intellectus, vel oculus possunt cum equali specie elicit perfectiorem intelligentiæ, & visionem; quavis igitur lumen sit ratio, cur intellectus agat simpliciter supernaturalem, non tamen est ratio, cur agat simpliciter vitaliter, ac cum tali, vel tanto conatu, neque quanta est activitatis potentia naturalis in suo ordine, tantam requirit elevationem luminis, ut v. g. si intellectus est activus ut sex, in suo ordine non necessario requirit lumen intensum, ut sex, ut possit excitare in actum supernaturalem secundum omnem gradum activitatis sue, nam in summo lumine glorie sufficiens est ad elevandum intellectum, quantumcumque perfectum secundum omnem gradum activitatis sue, ut bene advertunt Vulpes, Poncius citat, lumen enim requiritur, ut intellectus per ipsum constituat in ordine agentis supernaturalis, quare semel eo informatus, equumcumque gradus, potest exire in actum cum tali, vel tanta expressione. Dices, lumen requiri

in genere causæ efficientis, ut si lumen erit minus intensum, & intellectus perfectioris activitatis, tamen sit lumen, tunc producat aliquid gradum in visione, ad quem non concurreret lumen. Contrà, quia lumen, cum non possit se solo, sicut nec alius habitus, nec quidem in unum visionis gradum, hæc de causa non limitatur se solo ad tot gradus visionis, sed cum tali vel tali intellectu, unde eodè lumine intellectus minoris virtutis utetur ad minores visionis gradus eliciendos, citius enim exhauret tota vis luminis, quia non valide adjuvat ab altero, causa ad intensiorem actum producendum; intellectus autem majoris virtutis utetur eodem ad plures gradus propter maiorem virtutem, quia non ita cito exhaurietur virtus luminis; unde licet perfectio specifica actus, quarens est supernaturalis, commensuranda sit juxta perfectionem habitus elevantis, tamen perfectio gradualis, de qua hic est sermo, commensuranda potius videtur juxta virtutem, & activitatem intellectus elevantis, quam juxta activitatem habitus elevantis, & ratio est, quia universaliter loquendo, eam de habitu naturali, quam supernaturalem, potentia utitur habitu juxta conditionem proprie activitatis, non vero habitu utitur potentia, unde nec sequitur, aliquid dari gradum visionis, non à lumine productam, ut magis infra constabit in solutione objectionum n. 156.

Secunda Responso est Suarez, & aliorum negantium intellectum nullo modo concurrere ad visionem per virtutem suam naturalem, & assertentium, concurrere solum per potentiam obedientialem, quante, & ratione distinguunt à potentia naturali activa, & dicunt, esse æqualem in omnibus, unde dicunt, propositionem illam in argumento assumptam pro minori, quo fuerit perfectior causa principalis, eo perfectior erit effectus respondens illi, & alteri causæ partiali, solum verificari de causæ partiali concurrete per virtutem naturalem; si eum concurrere per obedientialem, ut concurrat intellectus cum lumine ad visionem, tota perfectio effectus principio supernaturali commensurari debet; cum enim hæc obedientialis potentia sit equalis in omnibus, omnia agentia naturalia ex parte sua æqualiter concurrunt ad effectum supernaturalem, atque ita si in actu illo sit inæqualitas, solum erit à principio supernaturali. Hinc etiam responder ad confirmationem principii argumenti ex actibus naturalibus deductam, disparitas enim est, quia illi sunt effectus naturales proportionales causis; visio autem est effectus supernaturalis, ac proinde sequi debet virtutem principii supernaturalis, quo intellectus ipse elevatur. Addit Suarez, quod licet admittatur, intellectum concurrere cum lumine virtute nativa, adhuc non sufficeret inæqualitas ex inæqualitate intellectus, quia licet ita esset, tamen virtus illa intellectus non esset completa, sed incompleta; ergo non operaretur, nisi ut completa per lumen, ac proinde ex lumine esset sumenda mensura visionis. Hæc Responso corrigit ex dictis qu. 6. art. 1. a num. 174. & seq. ubi negativus intellectum concurrere ad visionem per potentiam obedientialem, à Suarez exactam in quo libet ad quod libet, & in omnibus æqualem quod si sumatur in sensu jam explicato, tunc potentia obedientialis activa non excludit naturalem, quia est eadem res inter virtutes, quæ sub alia, & alia ratione dicitur naturalis, & obedientialis; semel autem concessio, intellectum per virtutem propriam, & naturalem ad visionem concurrere, planè negari nequit, etiam ab ejus influxu mensuram visionis esse de sumenda. Nec etiam satisfacit Responso ad illam confirmationem argumenti principii, ex eo enim quod effectus sit supernaturalis, non sequitur, quod excludat concurrem principii naturalis, sed tantum quod nequeat produci ad eo, sine alio principio supernaturali; semel autem concessio, quod produci possit, non solum à virtute supernaturali, sed etiam naturali, nulla potest asserti ratio, cur ejus intensiva perfectio etiam influxu principii naturalis respondere non possit. Nec tandem valet, quod addit Suarez, ex hoc enim quod virtus nostri intellectus ad visionem eliciendam sit incompleta, sequitur solum, quod nequeat in se influere, nisi per eam completatur, ut autem quod ex solo lumine sumenda sit mensura visionis, nam etiam virtus semel incompleta est ad generandum, & completatur per virtutem virilis feminis, & adhuc effectus mensuratur ex perfectione, & efficacia utriusque, & ita est universaliter, quando duæ causæ concurrunt ad aliquid effectum, quod licet partialiter concurrant, & una compleatur per virtutem alterius, quia tamen effectus pendet ex utriusque influxu, idè à quolibet eorum sumi debet inæqualis effectus.

198 Tertia Responso est Amici negantis consequentiam principii argumenti, quia omnes intellectus ad visionem producendam cõcurrunt præcisè secundum rationem intellectivi, ut sic, unde licet unus intellectus sit perfectior alio, tamen cum equali lumine non elicit perfectiorem visionem, quia non producit eam secundum eam rationem specialem, quia in perfectione superat aliam, sed secundum rationem generalem intellectivi, per quam cum eo convenit. Hæc solutio nullum profus fundamentum

mentum habet, quia secundum Philosophum actiones sunt singularium, & circa singularia versantur; sicut igitur non potest produci visio in communi, ut sic, quia non datur a parte rei gradus genericus a specifico seu individuo; nec specificus ab individuo; ita neque a parte rei potest intellectus humanus, vel Angelicus producere intellectionem secundum rationem intellectivi, ut sic, sed debet eam producere, quatenus tali intellectus, & quatenus in tali specie, vel individuo; Tunc quia quilibet intellectus dicitur virtus sua propria, specifica nimirum, & individuali concurrat ad producendam intellectionem: ergo non tantum secundum gradum intellectivum, ut sic; Tunc quia intellectus non tantum attingit in visione producta rationem visionis, ut sic, sed etiam rationem illam specificam, & individualem, merito cuius dicitur perfectior alia visione: ergo non tantum concurrat ad eam producendam rationem gradus intellectivi, ut sic, qui est genericus; sed etiam ratione gradus specifici, & individualis.

Quarta solutio est Ripaldæ, Atriage, Ouyiedii, & aliorum Recentiorum, illam consequentiam negantium, quia non semper etiam in naturalibus perfectior causa producit perfectiorem effectum; Sol enim est causa perfectior, quam ignis, & tamen non producit calorem intensiorem; & anima rationalis est potentia perfectior, quam brutalis, & tamen circa objecta actuum exteriorum elicit interdum operationes minus perfectas, ut patet de visione corporis hominis, & lineis; Ratio à posteriori est, quia ad hoc, ut una potentia sit perfectior alia, non requiritur, quod respectu cuiusvis objecti ceteris paribus eliciat actum perfectiorem alio, quem potentia minus perfecta ceteris paribus posse elicere circa idem objectum; sed sufficit, quod circa alia objecta ceteris paribus possit elicere, perfectiores actus, quos non potest alia potentia elicere; sic in exemplo allato, quamvis anima rationalis nonnullas sensationes exerceret minus perfectas, quam anima brutorum, & ex hoc capere excedatur longe tam excedit illas ratione aliorum actuum rationis, quos potest producere, non artem anime brutorum. Ratio tandem à priori est, quod potentia, seu principium actuum non refundit semper totam suam perfectionem in quolibet effectum, unde potentia perfecta, ut sex, potest producere alium actum perfectum tantum, ut duo, & potentia perfecta, ut quinque potest alium actum circa idem objectum, ceteris paribus perfectum, ut tria producere. Verum huiusmodi evasio, & impugnatio illius maxime Scoti, quæ habet 3. d. 13. qu. 3. *Una causa partiali existente, æqualis, si reliqua est maior, potest sequi perfectiorem effectum*, oritur ex non recta ejus intelligentia, etenim Doctor in illo suo dicitur a supponit in prima effectum perfectiorem quem dixit, produci posse à causa perfectiori, esse talis nature, ut possit dari perfectior illi, qui producitur à causa imperfectiori, & ex hoc infer debet esse perfectiorem, quod causa fuerit perfectior, per quod cessat instantia factæ de Sole, in qua supponitur, ignem posse producere calorem in firmamento, ex quo sequitur, non posse produci naturaliter perfectiorem de Sole, supponit deinde, quod talis effectus perfectior possit, ac debeat produci à causa perfectiori, si cetera sint paria; per quod cessat alia instantia de quibusdam sensationibus, ab anima rationali productis minoris perfectionis, quam sunt brutales, ut constat de visione corporis hominis, & lineis, hoc enim evenit, quia alia causa partialis cum anima concurrentes ad visionem, scilicet organum oculi, quantoquidem operationes sensitivæ sunt rotius conjuncti ex 2. de anima, non est æqualis perfectione in homine, & lineæ, sed excedit in lineæ, arque ideo cetera non sunt paria. Supponit insuper, quod ille effectus à causa imperfectiori producibilis possit etiam à causa perfectiori produci, & quod ad eus perfectionem spectet, posse illum producere in gradu perfectiori, quam producat à causa imperfectiori; Unde quamvis verum sit, quod ait Atriage, quod quando una causa est perfectior alia, opus non est, id contingere respectu omnis effectus, ab ea producibilis, quamvis enim non possit talem effectum in particulari producere perfectiorem, quam producat à causa imperfectiori; esse ad hoc perfectior ex eo, quod possit aliquid aliud perfectius producere, quod produci non possit ab alia causa minus perfecta; Est, inquam, id verum sit, quando tamen causa perfectior potest etiam illum talem effectum producere, saltem, tanquam causa partialis, si cetera fuerint paria; debet etiam illum eundem producere imperfectiori gradu, & pene illam attendi poterit inæqualitas in effectum, & maior perfectio, vel virtus productiva in ipsa causa; per quod cessat ratio à posteriori. Tandem ratio illa à priori levior est momenti, quia si causa fuerit naturalis, & bene applicata sine ullo impedimento, refundet servata proportione totam suam perfectionem in effectum, cum agat secundum ultimam suam potentiam; si vero fuerit libera, quamvis actu non refundat totam, poterit tamen refundere, si totum conatum voluerit adhibere.

Quinta tandem responsio est Bannez, & aliorum Thom. dicentium, intellectum cum equali lumine, & arge perfectiorem unam integram causam, & totam visionis, quia sunt virtutes diversæ ordines; arque ideo non poterit ab utroque desumi perfectio visionis; Sed plane hæc est meta evasio, quia plane negari non potest, intellectum, & lumen unum totum principium physem visionis componere, & integrare, si ve dicantur concurrere ambo, ut causa principales, si ve unum, ut instrumentum, aliud verò, ut causa principalis, dummodo instrumentum aliqua assignetur activitas in visione. Constat, quia ut constat ex dictis, intellectus activè concurrat ad visionem, si ve per potentiam naturalem, si ve obedientialem à nobis explicatam; lumen etiam concurrat in genere causæ efficientis, & tali modo, ut si ve intellectu visionem producere nequeat; ergo negari nequit, quin aliquo modo componant unam causam integram, & totalem, saltem unitate ordinis, quod etiam ostendit potest ex indigentia effectus, nam ob prædicitam in ipso reperta requiritur tam lumen, quam intellectum cum aliqua subordinatione ad invicem.

Alterā pars assertionis positæ num. 149. etiam de facto perfectiorem intellectum cum equali lumine, & arge perfectiorem, & intensiorem producere visionem, probatur, quia ad servandam connaturalitatem beatifici status ubi nulla intervenit violentia, evitari debent vitia, quantum fieri potest, ut patet; sed tenendo, posse intellectum perfectiorem cum equali lumine elicere perfectiorem visionem, & pariter volutate perfectiorem cum equali charitate elicere intensiorem suam; & asserendo postea, non ita de facto contingere, sed omnes beatos habentes merita æqualia, & æquale lumen gloriæ, & charitatem, habitus æqualem visionem, & fruitionem ad proportionem meritorum, etiam in æqualibus habent potentias, defendi non potest sine aliqua violentia, & inaturalitate, & absque fictione miraculorum sine necessitate, ergo verosimillius est, quod etiam ita de facto contingat; probatur minor ex variis dicendi modis, quibus utitur Doctor, & alii Recentiores secunde opinionis, etenim ad faciendam visionem, & fruitionem æqualem duorum Beatorum, habentium æqualia merita sed potentias inæquales, inquit, Deum progere cōcurrant minorem potentia perfectiori, vel concurrat majorem potentia imperfectiori; vel præbere potentia perfectiori minus lumen, aut charitatem, vel imperfectiori majus lumen, aut charitatem, ita ut fiat æqualis, in principio totali; habeantque visionem, & fruitionem æqualem, quam supponitur æqualiter meruisse; Sed hæc asseri nequeunt absque violentia, & inaturalitate; sic miraculorum fictione, si enim primum dicitur, quod intellectus, & voluntati perfectiori aliquid divini cōcurrat subtrahatur, quod alioqui deberetur naturali eorum activitati, jam intervenit aliqua violentia in ordine nature, cum sit connaturale ordini rerum, quod prima causa non denegat causæ secunde concursus ejus activitati commensuratum, tunc etiam in ordine gratiæ, quia subtrahendo talem concursum impedit beatum, ne Deum videat, ac dilgat conatus, seu activitati proportionato. Si vero asseratur secundum, quod potentia perfectiori aliquid detrahatur luminis, aut charitatis, at hoc etiam est inconveniens cum supponatur perfectior potentia tantum luminis, & charitatis meruisse, quantum interior, & quamvis possit hic tergiversari de lumine, quod dicitur illi Scoti, non dari, tanquam præmium, sed tanquam dispositionem ad præmium, præterquam quod tunc hæc proxima dispositio non esset proportionata dispositioni remotæ, qualis sunt merita, de charitate habituali, & gratia minime dici potest, quod aliquid ejus diminiatur, ob perfectionem voluntatis beatorum, quia augmentum charitatis, & gratiæ sub merito cadit, tunc quia perfectio voluntatis in eo casu Angelo cederet in detrimentum, tunc tandem, quia Angelus ob perfectionem suam voluntatis esset minus sanctus, & iustus, quam homo meriti æqualis, atque ita imperfectio potentie cederet homini in utilitatem. Si tandem dicitur tertium, quod imperfectiori potentie plus dabitur concursus, aut luminis, vel charitatis, quam postulet ejus activitas, aut merito in dispositione, adhuc eadem sequuntur inconvenientia, tunc in ordine nature, qui postulat, ut detur causa secunde cōcurrus suæ activitati proportionatus, tunc in ordine gratiæ, quia si voluntati imperfectiori datur perfectior habitus charitatis, & gratiæ, tunc homo erit iustus, & sanctior Angelo æqualis meritis, & imperfectior eodem ejus in utilitatem, ergo ad hæc omnia evitanda satis est dicere, intellectum, & voluntatem perfectiorem, etiam supposita meritorum, ac luminis, & charitatis æqualitate de facto perfectiorem quoque elicere visionem, & fruitionem correspondentem perfectioni potentie; ita enim dicendo salvatur, cum ordo nature, qui postulat, ut unaqueque causa permittatur agere secundum gradum activitatis suæ, tunc ordo gratiæ, & gloriæ, quæ non detraunt

struant naturam, sed potius perfectiunt. Sed utent Adversarii, non absurdum, ex hoc dicendi modo sequi majus omnibus illis, quia secundum Scripturas, & Patres visio datur, ut meritis meritis correspondens, & unicuique secundum proprium laborem 1. Corin. 3. quod confirmat Concilium Florentinum dicens, visionem esse perfectiorem pro ratione meritorum; sed juxta hæc secundam assertionem partem aliquid visionis non datur, ut merces, nec ob merita, sed potius ob vim naturalem, quod Pelagianus, & Beguardonum favet errori; quare Suarez putat, hæc dicendi modum esse parum tutum, & si de ipe principis minus conformem cap. 21. cit. no. 5. Verum, si erit perpendamus, quo sensu visio dicitur merces meritis correspondens, & quo sensu dicamus in casu inæqualitatis potentiarum aliquid visionis correspondere perfectioni naturalium potentiarum, quod non esset ex meritis, facis constabit, nullum esse nostram sententia sequi absurdum, & perfectum in se, si quo possit favere Pelagianis, aut Beguardonum, quod argumentum, quatenus intendit inducere hoc absurdum, multa falsa continet, quæ à nobis non admittuntur; Primum enim falsum est, excessum illum perfectionis in visione ita à nobis adscribi nature, ut nullo modo fundetur in gratiam, nam semper oppositum dicitur gratiæ, quæ per lumen intellectus elevatur ad visionem, quo sensu non tribuitur nature nudæ, & simpliciter sumptæ, ut asserunt præfati Heretici, sed nature elevatæ per divinam gratiam, donantem lumen; secundum vero ita assignatur hunc excessum nature, correspondentem, quasi intellectus per suam naturalem virtutem aliquem gradum visionis attingat, in quem non inflat lumen, quia ut dicitur ex superius dictis, intellectus cum lumine non sunt partialis causa partialitate effectus, sed solium partialitate cause, sicut nullus sit gradus in visionem, in quem simul non inflat intellectus, & lumen ex Scoto 1. d. 7. q. 9. G. V. unde intellectus majoris virtutis eodem propositum lumine, quo deterior producit pauciores, producit plures sic, ut in omnes, & singulis inflat lumen, modo explicato n. 196. quæ cum dicitur, excessum illum correspondere activitati intellectus, non est, in eo sensu intelligendum, quasi in eum non inflat lumen, sed quatenus in omnes fortius inflat intellectus, quam lumen, quæ præcisè de causa excessus ille dicitur correspondere activitati intellectus, non luminis. Tercio, cum in sacris literis visio dicitur merces, & præmium, plane non ita debet intelligi, ut secundum se totam in omnibus sit merces proprii laboris, etenim in pueris baptizatis nullam rationem mercedis proprii laboris habet, nec in adultis quoad illum gradum, qui correspondet gratiæ sacramentali, ex quo deducitur, opus non esse, ut tota visio respondeat solis meritis proprii ipsius Beati, sed vel propriis, vel Christi, & interim operato operati, sicut Lufitanus adverte q. 11. cit. à no. 35. ubi tandem concludit n. 28. excessum illum visionem correspondentem meliori virtuti respondere meritis Christi, quibus nobis meretur prædestinationis effectus inter quos à Theologis enumeratur præstantia, & subtilitas ingenii, quoniam sicut Deus sua providentia eam prædestinat, ut melius suæ vocationi occurreret, eam ad majorem gratiam, ita etiam, ut per eam majorem haberet visionem.

Itaque cum omnes prædestinationis effectus pendent ex meritis Christi ut est communis Theologorum doctrina, quamvis visio sub hac ratione non habeat rationem mercedis, nihilominus habet rationem beneficii nobis à Deo collati ex Christi meritis; ex quo fiti visionem huic nature præstantia correspondentem, non præcisè correspondere nature, ut natura est divinitus ordinata, ut per eam supernaturaliter elevata maior conferatur visio; Ex quo tandem constat, quantum distet sententia nostra ab errore illorum Hereticorum, gratiam negantium non enim nos negamus gratiam, sed cum gratia solvamus naturam, neque enim gratia, aut gloria desinit naturam, sed potius perficit, & exaltat, constat etiam, quam officiant dixerit Suarez, nonnullam sententiam esse principis fidei parum consonam, etenim Scripture, Concilia, & Patres solium docent, unicuique dandum beatitudinem secundum suam meritum, adeo ut non detur tantum propter meritum, sed etiam cum proportione ad meritum, & quo major fuerint merita, majorem quoque futuram beatitudinem; quod plane, totum concedit sententia nostra, non tamamen docent, ex solis meritis propriis habere, quod sit major, quia talis majoritas attenditur non potest ex meritis Christi, & ex ipsa natura, non quidem unde sumpta, sed ut est divinitus ordinata per eam supernaturaliter elevatam, major conferatur visio; itaque etiam in sententia nostra qui habeant intellectus naturaliter inæquales, merita tamen æqualia, & tunc juxta oppositam sententiam intellectus perfectior intensius videbit Deum, ergo erit beatorum, igitur Deus non servat æqualitatem justitiæ in distributiva mercedis pro mensura meritorum, vel Deus intellectu perfectiori infundet minus lumen, ut eliciat æqualem visionem cum intellectu inferiori habente majus lumen, & hoc est inconveniens, quia hoc

intellectus, & sic semper venatur dicere in aliquo sensu, quod beatitudo datur propter merita, & cum proportione ad merita, vel propria, vel Christi nobis appropriata; atque ita ex his patet, quo sensu intelligende sint major, & minor in argumento assumpta, quod Adversarii adeo ex aggerant, quasi nostram asserunt sit contra fidem.

ARTICULUS SECUNDUS. Solvuntur Objectiones.

In oppositum præter instantias factas, & solutas in impugnanda prima Thomistarum responsione n. 195. & 196. arguitur primum; perfectio effectus supernaturalis commensuranda est juxta perfectionem principii supernaturalis, quod concurrat ad ipsum; ergo non potest esse intensior illo, & consequenter si lumen sit, ut unum, visio non potest esse, ut duo, etiam si intellectus esset perfectus, ut duo, vel tria, probatur antecedens, quia potentia naturalis non agit, nisi juxta quantitatem principii elevantis, sicut enim non concurreret alio modo, nisi elevaretur, ita non poterit agere, nisi juxta gradum perfectionis principii, quo elevatur. Respondio ad hoc vulgare argumentum, satis constat ex dictis loc. cit. antecedens cum ejus probatione esse negandum simpliciter, & absolute sumptum, & solium concedendum servata proportione, ut enim ibi dicebamus, etiam oculus in naturalibus nequit simpliciter videre sine specie visibili, neque intellectus sine intelligibili, & tamen ad hoc perfectior intellectus, & oculus, cum equali specie perfectiorem intellectionem, & visionem elicere possunt. Sed contra ex hoc eodem exemplo replicat Averf. loc. cit. si species intensa, ut quatuor, exerceat visionem, ut quatuor, quamvis ponatur in alio oculo perfectiori, non excedet hæc intensio, nisi aut de facto contingere videtur, ut in responsione assumitur, quia talis species cum oculo obrufiori non operatur secundum totam suam virtutem, & hinc est, quod cum equali specie alius oculus perfectior clarius videt; quia ad quædam utitur secundum totam ejus activitatem, ut etiam inquit Suarez cap. 21. n. 75. sed lumen gloriæ, in quo magis intellectus ponatur, nullo intellectu defectu impeditur, sed juxta totam suam intentionem elevat potentiam ad actum visionis; ergo non potest cum alio intellectu hanc intensiorem excedere, unde concluditur, quod neque in exemplo allato, neque in aliis invenitur, quod si causa aliqua operativa determinatio, aliam ad certum effectum adimpleat suam efficaciam, possit cum alia perfectiori causa adhuc efficacius operari. Respondo negando majorem, quia ut dictum est disp. 3. de anima quest. 5. num. 43. tam species, quam habitus cum potentia potest concurrere ad actum perfectiorem, & ratio est, quia ex habitu, & potentia, & idem dicitur ei debet de specie, integratur perfectior causa, quæ sit potentia sola, & ut arguit Doctor 1. d. 17. quest. 2. I. quantum ad causam concurrunt ad aliquid effectum, una sola non potest ex se in ita perfectum, sicut amba simul; atque ideo si species intensa, ut quatuor, ponatur in oculo perfectiori, producat eum eo visionem perfectiorem, & excedentem illam intentionem, quia licet nec potentia in se, nec species in se itam habeat virtutem, sufficit, quod in toto aggregato ex eorum partialibus reperitur virtus proportionata ad talem effectum, producentem, præsertim in causis æquivocis, unde videmus, duo pondera, ut unum, producere impulsam, ut duo, qui in nullo eorum scotum virtualiter continentur; atque ideo, quod in nullo eorum deducebat, quod si causa aliqua operativa de se determinata ad certum effectum, adimpleat suam efficaciam cum una causa concurrentes, nequeat cum alia perfectiori causa adhuc efficacius operari; nam potentia v. g. de se determinata ad actum intensiorem, ut quatuor, si conjugatur cum habitu elicit actum intensiorem, nam ceteris paribus à potentia habita producat perfectior actus, si toto conatu agit, quam à potentia nulla. Quod, vero dicebat, ita de facto contingere, quia talis species cum oculo obrufiori non operatur, secundum totam suam virtutem, & inde esse, quod cum equali specie alius oculus perfectior clarius videt; est etiam voluntarie dictum, cum enim illa species sit causa naturalis, quando agit, necessario agit, quantum potest, etiam in oculo obrufiori, quare si producat visio imperfectior, non erit ex defectu speciei, quasi non agat cum tota sua efficaciam, sed ex defectu potentie, quæ non ita valide concurrat cum ea, sicut oculus acutus.

Secundo arguit Averf. sunt duo, qui habeant intellectus naturaliter inæquales, merita tamen æqualia, & tunc juxta oppositam sententiam intellectus perfectior intensius videbit Deum, ergo erit beatorum, igitur Deus non servat æqualitatem justitiæ in distributiva mercedis pro mensura meritorum, vel Deus intellectu perfectiori infundet minus lumen, ut eliciat æqualem visionem cum intellectu inferiori habente majus lumen, & hoc est inconveniens, quia hoc

hoc pacto videretur intellectus perfectior, veluti ex propria facultate comparare sibi gradum atque visionis, suppletis, quod sibi deest de intentione luminis, quam habet intellectus inferior; sed tamen, sicut intellectus non potest ex propria facultate videre Deum, sed indiget elevari, ita censendum est, nec posse ex propria facultate perfectius videre, sed debere perfectius elevari. Resp. patet ex dictis nu. 202. & 203. quod existentibus aequalibus meritis infundit Deus aequale lumen, & adhuc intellectus perfectior intendit Deum videbit, neque hinc sequitur, Deum non servare aequalitatem iustitiae in distribuenda mercede pro mensura meritorum. etenim hec proportio inter visionem, & merita sic cogitari debet, ut nemini adulto haec conferatur, nisi eam bonis operibus meruerit, & quo plus meruerit, eo majorem, & perfectiorem acquirat visionem, quod totum salvatur in sententia nostra, nec aliud pretendunt Scripturae, & Patres; non autem ita fingi debet ea proportio, ut si aequalia sint merita duorum, sed inaequales intellectus, aequalem sint quoque adepturi visionem, facta comparatione unius ad alterum, quia talis proportio fingi nequit sine praerogatione perfectioris intellectus; quod si Patres hanc quoque proportionem intendunt inter beatitudinem, & merita facta comparatione inter duos intellectus inaequalis perfectionis, intelligendi debent iuxta declarationem datam num. 203. Alia vero pars dilectissimi, licet non sit concedenda ob rationem assignatam num. 201. adhuc tamen sufficienter excluditur per probationem in argumento assumptum, quia adhuc non sequitur in eo casu, gradum aliquem accquiri viribus naturae nudae simplicis, sed elevati per lumen, quod adhuc influenter in eum gradum, qui tamen potius ponitur correspondere naturae, quam lumen, quatenus fortius in eum influenter intellectus, quam lumen modo explicatum nu. 202. Neque verum est, quod sicut intellectus nequit simpliciter videre Deum absque elevatione, ita neque potest perfectius videre Deum ex propria facultate, nisi perfectius elevetur, ut satis declaravi num. 196. & modus ille arguendi per regulam topicam, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, &c. valet tantum in causis praecisiss, & totalibus, lumen vero non est causa praecisa, & totalis visionis, quasi sit tota ratio illam producentis, sed etiam procedit hoc modo ab intellectu elevato, qui ex se talis est, ut semel hoc lumen instructum petat producere visionem cum tali, vel tanta expressione, vel intentione, cum qua illum non produceret alius intellectus, sed cum minori. Sed inquit Averis, lumen sicut est certe intensio, ita virtualiter continet certos tantum gradus visionis, quor scilicet in se habet, quantumvis ergo perfectior intellectus, si non augetur lumen deest virtus ad augendam intentionem actus. Resp. ex dictis num. preced. quod licet in se lumen sit certe intensio, & ex parte sui contineat solum tot gradus visionis, quot in se habet, tamen cum potentia conjunctum potest concurrere partialiter ad actus seipso intensiores; unde cum se solo nec quidem unum possit attingere visionis gradum, & ejus activitatis in ordine ad tot, vel tot visionis gradus non debet ex ipso solo, & solitariè sumpto diiudicari, sed ex conjunctione cum intellectu perfectiori, vel imperfectiori, ut dictum est n. 196.

206 Tercio arguit, quia hinc sequitur, perfectiorem intellectum mediū cum equali lumine, sed etiam cum minori longè clariùs videre Deum, quam imperfectiorem cum majori, nam si duo intellectus, unus minus perfectus, & alter magis cum equali lumine vident Deum inaequaliter, quia hic magis videt, quam ille; si sumatur tertius intellectu adhuc perfectior hoc secundo, hic cum aliquanto minori lumine infra ipsum secundum videbit equaliter cum ipso, & adhuc videbit perfectius, quam primus intellectus, qui habet lumen majus; imò ulterius inferri potest, cum lumine aliquo quantumvis remissio posse perfectiorem, & perfectiorem in infinitum effi visionem, siquidem quoque intellectu potest alius, & alius perfectior in infinitum effici, & quo perfectior fuerit, eo intensiorem visionis actum eliciet cum illo eodem lumine. Respondens facta huiusmodi comparatione, & supposita tali proportionem virtutis intellectus ad lumen, id totum secutum absque illo inconvenienti; sicut enim aliquid intensiorem visionem, quam elicit imperfectior, quia ibi una causa partialis est majoris virtutis; ita quia tertius intellectus etiam cum minori lumine constituit causam totalem majorem efficacitatis, quam lumen majus cum primo intellectu, siquidem supponitur, efficaciam virtutis tertii intellectus adhuc superare efficaciam virtutis tertii intellectus adhuc superare efficaciam majoris luminis, quod dicitur habere primus intellectus; sequitur necessario, tertium intellectum illis duobus perfectiorem intensiorem pariter elicere visionem cum minori lumine, quam elicit primus cum majore; Et ob eandem rationem concedendum quoque est aliud illatum, quod praeter illam gradationem in infinitum nil difficilius impotat, quam quod intel-

lectus perfectior possit cum equali lumine elicere intensiorem visionem, quam imperfectior; quod est, vel maxime asserendum est, quia ut dictum est nu. 196. infimum lumen gloriè sufficientens est ad elevandum intellectum, quantumcumque perfectum secundum omnes gradus activitatis suae.

Quarto arguit, consideretur intellectus aliquis, quo reperitur alius perfectior, illicque Deus infundit lumen certe intensiorem, v. g. ut quatuor, tunc vel talis intellectus non eliciet actum aequè intensum, vel eliciet quidem actum, ut quatuor; sed intellectus perfectior eliciet actum visionis intensiorem suo habitu luminis, ut quatuor; solum enim his duobus modis intelligi potest inaequalitas visionis cum aequalitate luminis, & ratione caret, & multum detogit efficacitatem luminis, quare enim non elicietur, tam intensus visionis actus, quam intensus est luminis habitus? secundum deinde modus, & rationi repugnat, & nimium tribuit naturali efficaciae intellectus; nam illum quantum gradum efficiet solus intellectus, quod non est concedendum, cum non sit minus supernaturalis, quam reliqui; vel simul cum intellectu elicit etiam lumen, ut quatuor; & hoc modo cum lumen producat supra suam intentionem, invenit quoddammodo elevatur ab intellectu, quod planè est invidere huius rei ordinem, & generaliter non potest una qualitas ob consortium alterius producere aliam supra suam intentionem, & specialiter in hac re est credibile, ob perfectionem intellectus producti actum supernaturalem supra intentionem principii supernaturalem elevanti ipsum intellectum. Respondens concedendo secundum modum, quod intellectus perfectior elicit actum visionis intensiorem suo habitu luminis, ut quatuor; qui intensior gradus attingit etiam à lumine, quia ut universaliter dictum est num. 204. habitus cum potentia potest producere actus se ipso intensiores, & saltem est generaliter loquendo unam qualitatem ob consortium alterius non posse producere aliam supra suam intentionem; nam in causis aequivocus duobus, pondera, ut unum, causant impulsū, ut duo, & in univocis duo luminosa, ut quatuor, causant lumen in medio singulis intensius, neque in hoc sensu inconvenienti dicere, luminis activitatem quodammodo elevari ab intellectu eo modo, quo generaliter dicti solent, unam causam partialem aliam elevare, quatenus illam coadiuvat, & confortat in actione; quod planè ab Adversariis concedi debet in praedicto vitalitatis, quod cum sit identificatum cum supernaturalitate, producit etiam à lumine, & ad hujus formalitatis productionem elevatur quodammodo ab intellectu, & supra suam naturam, quia lumen de se potentia vitalis non est, nec tamen ob id dicitur, inverti ordinem huius rei, nam tale minus elevandi propriè ad lumen spectat, quatenus transfert, & elevat intellectum de statu agentis naturalis ad statum agentis supernaturalis, & de ordine inferiori ad superiorem, quod non event in proposito; tunc quia si habitus cum potentia producat actus seipso intensiores, etiam est converso potentia cum habitu conjunctus sit gradus producat actus seipso intensiores, & supra propriam facultatem, unde ex hoc capite etiam vice versa dicitur habitus elevare potentiam; Neque tandem incredibile est, ob perfectionem naturalem intellectus producti actum supernaturalem supra intentionem principii supernaturalem, ipsum intellectum elevantis, si intelligitur in sensu jam explicato; quia non producitur talis intensior actus à virtute naturali intellectus nude sumpta, sed elevata per lumen, quod etiam cum potentia talem intentionem attingit, per quem influxum supernaturalem quoque illi gradus intensiori communicat.

208 Quinto arguit, visio Dei excedit omnem facultatem intellectus, & ideo superadditur alia supernaturalis, scilicet lumen gloriæ; potius ergo visio commenturari debet cum perfectione, & intentione luminis, quam cum perfectione illius facultatis naturalis; igitur quanta est intensio luminis tanta est intensio visionis nulla habita ratione perfectionis naturalis intellectus. Resp. negando consequentiam, quia actus supernaturalis, licet in sua ratione includat processionem à principio supernaturali, non tamen excludit concurrentiam naturalem potentie naturalis, ita ut enim emanat ab eo, tanquam à virtute remota, & inchoata; quare cum visio non tantum fluat à virtute supernaturali, sed etiam naturali, majoris ejus intensio etiam influxum intellectus respondere debet, siquidem generaliter loquendo intensio, & perfectio effectus persari debet ex virtute cujuslibet causae ad illum concurrentis; Dices, forma supernaturalis, ut sic, intendi nequit à forma naturali, ut sic; ergo neque visio à virtute naturali intellectus. Concedo antecedens, & consequens cum illa reduplicatione, ut sic, ita enim esset sensus, quod forma supernaturalis posset intendi à virtute naturali nude sumpta, quod nos non asserimus, sed ut elevata per lumen; & quemadmodum Adversari-

rii concedunt, non obstant supernaturalitate intellectum concurrere ad ipsam visionem immediatè; & esse praecipuum rationem, cur sic visio, & cur sic vitalis, planè eadem ratione concedere possunt, quod possit etiam esse ratio, cur visio fit magis perfecta in casu nostro intensio, quia non major difficultas reperitur in praedicto intensio, quam vitalitatis, quod potest attendi à perfectione naturali intellectus, si semel fuerit per lumen elevata.

209 Sexto arguit, intellectus est de se indifferens ad quancumque intensiorem visionis, & solum per lumen determinatur ad certam intentionem actus supernaturalem, nam lumen est illud, quod habens latitudinem intentionis sub certa mensura tribuit intellectui, cui mensurae consequenter certa visio intensio correspondet; nullatenus ergo ipsum lumen determinatur ab intellectu, sed potius intellectus determinatur à lumine ad eliciendum actum certa intentionis, tante scilicet quanta est ipsum lumen. Constat, quia licet intellectus habens latitudinem intentionis in ordine ad actus naturales, tamen in ordine ad actum visionis Dei non appareat, quomodo magis, aut minus valeat ob suam naturalem perfectionem. Demum, licet intellectus, quatenus facultas naturalis in ordine ad actus proportionatos inaequaliter admittat, tamen quatenus facultas obedientialis in ordine ad actus supernaturalis absque ulla inaequalitate se se, capax exhibet ad majorem, vel minorem elevationem, hoc enim est de ratione potentie obedientialis, Respondens, in differens intellectus ad quancumque visio intensio est activa, & non merè passiva, & licet per lumen determinetur ad perfectionem sacrificiam actus supernaturalis, non tamen ita determinatur ad gradum, quin etiam aliquo modo lumen determinatur ab intellectu; cum enim utrumque agat ad visionem, & potentia cum habitu exercere actus seipso intensiores, & vice versa habitus cum potentia concurrat ad actus seipso intensiores, nisi Deus cohibeat activitatem potentie, plane intensio à bonis ex utroque capite pensari debet, atque ita quoad perfectionem gradualem, nec habitus absolute determinat potentiam, nec potentia habitum, sed se invicem contemperant, atque constant ad actionem se invicem, & in tali gradu, quo à nullo seorsum potest produci; & plane si lumen determinat intellectum ad visionem infra virtutem suam naturalem, hoc planè ejus perfectionis naturali praerogative, nec tamen diceretur lumen ejus virtutem naturalem elevare, & ampliare, quia diceretur, & coarctare. Ad Conf. eo modo, quo ponitur intellectus habere nativam virtutem ad producendum visionem, cum fuerit per lumen elevatus, scilicet remota, & inchoata, debet etiam pariter dici, habere latitudinem intentionem in ordine ad actus supernaturales, Ad ult. negatur, quod ibi affirmatur de potentia obedientiali; cum enim, ut à nobis explicatur, non fit in quolibet ad quodlibet, nec aequalis in omnibus, neque excludat potentiam naturalem, sed includat, sicut in hac admittitur inaequalitas, ita etiam servata proportione admitti debet in ordine ad actus supernaturales, comparatione quomum dicitur obedientialis, ut constat ex dictis num. 197. haec argumenta ex Adversariis quaest. 12. sec. 12. singulariter referre volui, quia licet speciale non continent difficultatem, tamen ut ab ipso proponuntur, altem majorem videntur praefere reapparentiam; Arguit etiam specialiter Amicus sec. 16. cit. quia intellectus Beatorum ad visionem non concurrunt, ut specificè, & individualiter diversim, sed ut genericè convenientes, & solum secundum rationem, intellectus, ut sic, ergo inaequalitas visionum, sumi nequit ex inaequalitate intellectuum; sed fallitas assumpti satis constat ex dictis n. 198.

210 Septimo arguit, Valquez disput. 47. cap. 3. non potest perficere ratio generica intellectus, nisi per actum specificum, cum utraque sit eadem res; sed ratio supernaturalis intellectus est ab habitu supernaturali; ergo quando ille est aequalis, non accidit visio perfectior in uno, quam in alio, & sicut causa universalis, quam modificat causa particularis, concurrat juxta exigentiam causae particularis, & perfectionem illius; ita intellectus juxta exigentiam luminis. Respondens, rationem supernaturalem non esse à solo lumine, ut assumitur in minori, quasi intellectus concurrat ad visionem secundum gradum genericum intellectus, & lumen ad solam gradum specificum, secundum quem est visio talis; sed intellectus, & lumen ad utrumque gradum concurrunt, non enim semper opus est, causis partialiter ad aliquid effectum concurrentes ita se habere ad illum, ut unus illius gradus uni causae correspondeat, & alter alteri, sed omnes gradus correspondent omnibus causis, atque ideo ab omnibus ejus intentio, & perfectio attendi debet. Ad illud de causa universalis, & particulari dictum est supra num. 195. in fine, quod valet de perfectione specifica, non autem generali, quia intellectus circa naturale obiectum determinatur per speciem illius, & tamen melior intellectus cum aequali specie elicit meliorem intentionem; Sed replicat

Turrianus ex Vasa, magnum esse discrimen inter intellectum cum lumine, & intellectum cum specie naturali obiecti, quia species naturalis licet determinet intellectum, tamen illi veluti verò lumen, cum sit supernaturale, elevat intellectum ad actum supernaturalem, imò rapit intellectum juxta id totum quod potest. Verum quicquid fit de hoc discrimine, quavis lumen elevat intellectum, & rapit juxta id totum, quod potest, certum tamen est, adhuc intellectum agere cum lumine, & quanto perfectior fuerit, intensiorem visionem cum eo producere, si toto conatu suo agere permittatur.

211 Octavo argunt alii, ex contraria opinione sequi, in via-num hominem cum aequali auxilio gratiae elicere perfectiorem actum meritorem ob perfectiorem voluntatem, quod parum consentaneum est doctrinae Patrum in materia de gratia, ex qua debet oriri dignitas, & major dignitas actus facti ex gratia; si ergo perfectio actuum supernaturalium via quillo modo procedit ex inaequalitate intellectus, & voluntatis; ergo tanto minus perfectio actuum patris, qui sunt excellenter. Respondens, imò potius oppositum antecedenti pluribus adducit pro nostra sententia, quia actus fidei, spei, & charitatis in via non solum habent suam intentionem ab habitibus supernaturales, sed etiam ab intellectu, & voluntate. Nec valet respondere, non posse esse intensiores, quam sint habitus, & auxilia supernaturalia, à quibus elevantur. Nam melior intellectus cum aequali habitu fidei intensiorem assensum fidei elicit, quam intellectus rudis v. g. rusticus, melius etiam percipit mysteria fidei, ex qua meliori penetratione elicit etiam assensum cum firmiori adhesionem, & voluntas cum eodem habitu charitatis concurrat ad magis intensum actum eliciendum, adhibendo majorem conatum, quia si non possit, frustra inventurur homines ad diligendum Deum ex toto corde, & ex tota anima hoc est ad magis intensum amorem ejus habendum; siquidem id non esset in hominis libertate, si non posset amare, nisi juxta intentionem habitus charitatis. Dices, in hac vita non posset remissius operari, quam sint habitus, & gratia excitans, & quae liberè illis utitur; non tamen intensum, quia non possumus ultra vires à Deo datas; invitari autem ad intensius operandum, quia plerumque ex nostra negligentia, remissius operamur, quam sint habitus, & gratia excitans; Contra, qui non invitatur ad intensius operandum tanto modo, & quantum fert intensio habitus supernaturalis, sed quantum fert activitas potentie, dicitur enim, diligens Deum ex toto corde tuo, ex tota anima, &c. Neque ob id diceretur operari ultra vires, à Deo datas, quasi gradus ille correspondens majori conatu potentie sit à sola natura, auxilio gratiae destituta, quia etiam, & ille gradus esset à potentia elevata per gratiam, & in eum influeret gratia cum potentia, quia, ut diximus, habitus cum potentia potest influere in actus intensiores seipso; quomodo doctrinam etiam insigniores ex Adversariis concedunt. Suarez, lib. de auxiliis c. 29. n. 9. Zumel art. 6. qu. 1. ad 2. alii, quicquid reclamat Turrianus dub. 7. ubi ait, se non videre, quomodo possit unus ab alio differere in justificatione, nisi per gratiam, quod oppositum sequitur ex nostro dicendi modo, quod tamen falsissimum est, quandoquidem illi utriusque inquireretur, si conatus major potentiae, à quo obvenit actui major intensio, esset à natura nude sumpta, & non elevata per gratiam, & gratia in illum quoque ulteriorem gradum non influeret, uti nos affirmamus; unde quia ille quoque gradus est à gratia, & natura elevata per gratiam, licet sit supra intentionem habitus ipsius gratiae, ac etiam quia ipsa est perfectio naturalis intellectus, & voluntatis elevata sunt effectus praedestinationis secundum communem Theologorum, tandem nil habet homo, quod non acceperit à Deo, etiam ut ab auctore in ordine gratiae, & de quo gloriari possit, quasi non acceperit atque ideo etiam secundum nostrum dicendi modum semper verum est, unum non posse ab alio differere in justificatione, nisi per gratiam.

212 Non urgent alii, sigillum aureum non magis confert ad impressionem signi, quam ferrum. licet sit perfectius ergo idem dicitur de intellectu perfectiori respectu visionis. Constat, quia etiam si autem sit perfectius aqua, si Deus staretur per autem conferte gratiam, ut modo conferte per aquam in baptismo, perfectio auri nil conferret ad producendum majorem, seu magis perfectam gratiam; ergo sic in proposito. Respondens, verum esse assumptum, quoniam aurum ad impressionem signi concurrat praecise secundum duritiam, & figuram, quae possunt esse perfecta in ferro, perinde ac in auro, imò perfectiores; non autem secundum naturalem perfectionem auri, quae ad hoc est omnino impertinens, non sic autem impertinenter se habet naturalis virtus intellectus ad producendum visionem, nam re vera proprie, & immediatè ad eam concurrat, si semel elevetur per lumen. Ad Conf. etiam negatur paritas, quia intellectus per virtutem suam propriam elevatam specificè concurrat ad visionem, aurum verò non concurreret physicè,

ficē, sed tantum moraliter, quomodo etiam de facto concurrit aqua in schola nostra; & si physicē concurreret, hoc utique ei non conveniret ob perfectionem, qua excedit aquam; sed per potentiam obedientialem activam, quae secundum Suarez, & alios est ejusdem rationis in omnibus; vel per quantitatem aliquam supernaturalem ei communicatam ejusdem rationis cum illa, quam quidam Adversarios dicunt, modo communicari aequē.

213 Postremō arguit etiam nostri contra alteram conclusionis partem, quod scilicet de facto perfectior intellectus cum equali lumine perfectiorem eliciat visionem; nam pro opposita parte stat Scotus, & ratio; siquidem in patria non accipiunt Deus dispossuit, & digni sunt ex gratia: ergo absolute estō poterit sint inaequales, quia tamen digni equaliter sunt, equale premium respondet. Deinde, quia Doctor expressē oppositum docet, nam 3. d. 23. q. 3. docet, voluntatem Christi, de facto perfectius frui Deo, quam voluntatem Angeli, licet ex natura rei voluntas Angeli perfectius fruatur, unde similiter de aliis Beatis sentire videtur, quod de facto inaequalitas fruitionis non proveniat à potentia perfectiori, idem autem erit de intellectu dicendum respectu visionis. Et 4. d. 30. q. 6. verſ. Respondeo, & dico docet, voluntatem inferiorem habentem equalia merita cum voluntate superiori habituram beatitudinem aequale aequalitate quantitatis, licet non aequalitate proportionis, quia inferior magis consubitur ad fruitionem.

Respondet, quantum attinet ad mentem Doctoris, quamvis in 3. loc. cit. ita doceat de fruitione animae Christi, nil tamen hoc nostro asserto praerjudicare, neque de aliis Beatis idem proportionaliter sensisse, magna namque disparitas versatur inter Christum, & alios Beatos quoad luminis gloriae, & gratiae perfectionem, siquidem ut notat Smiling, loc. cit. num. 46. Scotus non tribuit Christo ex communi lege beatitudinis maximam illam fruitionem, & quod quantum illi deest de potentia naturali ad fruendum perfectius Deo, quam fruatur alia creatura perfectioris potentiae naturalis, scilicet Angelica, tantum compensatur per majorem gratiam, & charitatem; sed hoc ei adscribit, ob prerogativam capitis totius Ecclesiae triumphantis, & propter eminentiam capitis, & primi omnium praedestinatorum, quae quidem ratio nec directē, nec proportionaliter locum habere potest in ceteris electis; etenim cum illi tantum de visione, & fruitione adepti sunt, quantum suo labore meruerunt, nulla est ratio, vel auctoritas docens, quod inferioris uni tantum debeat addi, quantum ratione potentiae perfectioris competat alteri beato aequalis meritis. Dices, ergo si intellectui, vel voluntati Angelicae daretur tantum lumen, vel tanta charitas, quantum habet anima Christi, eliceret perfectiorem visionem, & fruitionem, quam de facto eliciat anima Christi: ergo non erit summa negativē, vel in termino, qualem ponit eam Scotus, vel si talis est, non poterit intellectus Angelicus cum aequali lumine, perfectiorem elicere visionem. Respondeo, hanc objectionem etiam ab aliis Scotistis esse solvendam; supposito itaque, visionem Christi esse summam, ut in argumento supponitur (nam si talis suppositio non esset vera, de quo dixi disp. 10. Phys. q. 5. art. 1. tota vis objectionis labitur) ponderanda sunt, quae docet Doctor 3. d. 13. lit. Q. respondendo ad 3. q. ubi ait, animam Christi summē frui lumen, licet, non tamen elicitive, unde vult, fruitionem illam esse summam formaliter, non verō elicitivē, quia à voluntate Angelica cum aequali gratia potest elici perfectior fruicio. Dices, quomodo fruicio animae Christi potest esse summa formaliter, & non elicitivē? Respondeo, quod est summa formaliter, ita ut perfectior dari non potest, quia licet voluntas Christi cum summa gratia non possit elicere fruitionem, quae sit formaliter summa, quia perfectior fruicio elici potest à voluntate Angelica cum aequali gratia, tamen Deus volens perficere Christum perfectione maxima possibili concursu particulati suo supplet defectum perfectionis voluntatis Christi; concurrere cum eo ad producendam tantam fruitionem, quam possit producere voluntas Angelica cum aequali gratia; & sic patet, quomodo non repugnet fruitionem animae Christi esse summam formaliter, & adhuc voluntatem Angelicam posse elicere perfectiorem cum aequali gratia, perfectiorem (inquam) non formaliter, quia fruicio Christi supponitur summa formaliter, sed perfectiorem elicitivē. Dices, si Deus praeraret Angelico talem concursu cum aequali gratia, Angelus haberet majorem fruitionem etiam formaliter. Resp. supposito, quod Deus concurrat cum Christo ad summam fruitionem formaliter, negandum est, posse Angelum praerari aequalem concursu, quia hoc dato sequeretur, fruitionem Christi non esse summam, quia Angelus ex tali concursu haberet majorem.

214 Ad alium locum ex 4. sent. optime etiam respondet Smiling, loc. cit. Doctorem non dicere voluntatem inferiorem, & meriti aequalis cum voluntate superiori habituram aequalem fruitionem beatificam, ratione majoris conatus ad actum fruitionis; sed ait, voluntatem inferiorem habentem aequalem habitum charitatis in via, potuisse ratione majoris conatus habere meritum actum, quo tantam meruerit fruitionem, quantum voluntas nobilior sibi vendicabit ratione meriti minoris; & naturae perfectioris, & idem inquit, dandam esse illis in patria charitatem inaequalem, scilicet majorem imperfectiori voluntati; beatitudinem verō aequalem, quia quod uni deest ratione potentiae ad habendam fruitionem aequalem, ei competit ratione majoris meriti, & argumenti charitatis; quare falsum est, quod ibi Doctor loquatur de habitibus mericum aequale, ut communitur intelligit alii Scotistae, nam in eo argumento, quod sibi Scotus opponit, sic concludit, & tunc cum charitas sit ratio merendi, sequitur, quod inaequaliter meriti erunt aequaliter beati, ex quibus verbis expressē constat, Doctorem loqui de habitibus mericum inaequale. Quinimo ex hoc eodem loco Smiling, potius nostram confirmat sententiam, quia ibi supponit Doctor, quod si voluntas inferior haberet aequale meritum cum voluntate nobiliori, adeoque aequalem habitum charitatis, non haberet aequalem beatitudinem, sed nobilior voluntas haberet majorem. Ad rationem dico, quod quantumvis Beati non accipiant in ratione meritis, & premiis, nisi quantumvis suo labore meruerunt, & digni sint ex gratia, tamen etiam in ratione beneficii, nobis à Deo collati ex Christi meritis accipiunt, quantum absolute posuit potentia naturali, ut dicitur est. num. 203. alioquin aliqua violentia sequeretur in ordine naturae, cum sit connaturalis ordinis rerum, quod prima causa non denegat fecundae concursum ejus activitati commensuratum; cum etiam in ordine gratiae, quia subtrahendo talem concursum impeditur Beatum, ne Deum videat, ac diligat conatu suae activitati proportionato, ut deducum est num. 201.

Dices, ex opposito dicendi modo nullam sequi violentiam, vel innaturalitatem in statu beatitudinis, etiam si beatus non accipiat, quantum absolute potest frui, vel videre Deum ex sua facultate naturali; nam habet quousque Beatus naturalem appetitum ad summam Dei visionem in schola nostra, qui tamen licet totaliter non expleatur, nullam indeco patitur violentiam, quia sufficit, ut expleatur juxta quantitatem dispositionis praeviae à Deo constitutae per merita, ut monet Doctor 2. d. p. quæst. ultima in fine; ergo idem dicendum in proposito de facultate naturali activa, quam intellectus habet ad Deum videndum; Tum quia hæc facultas activa, quam habet intellectus creatus ad Deum videndum non est sufficiens, & completa in ordine causae secundae, adeo ut sequatur aliqua violentia, vel innaturalitas, si causa prima denegat concursum suum, quia intellectus non ita petit concursum causae primae in ordine ad visionem, sicut petunt causae secundae ad effectus sibi proportionatos; sed si Deus concursum praeraret, hoc evenit gratuito, & ex merito Dei beneficio. Respondeo, satis patere ex dictis qu. 2. art. 1. appetitum, & inclinationem naturalem passivam, qualem habet anima nostra ad recipiendam perfectionem supernaturalis ordinis, non esse sufficientem, ut tales perfectiones sint ei naturaliter debitae, cum ex nullis naturae viribus attingere possit aliquam dispositionem, ultimō ordinatā ad tales formas, & Deum necessitatum; ut auctorem naturae ad earum inductionem; unde est omnino dispar ratio de potentia, & inclinatione passiva, quam intellectus habet ad Dei visionem, & de facultate naturali activa, quam habet ad eam eliciendam, si semel sit elevatus per lumen gloriae; quamvis enim talis facultas citra talem elevationem sit omnino remota, & incompleta, atque idē naturaliter non petit concursum Dei ad visionem, ut petunt aliae causae secundae ad effectus connaturales, & proportionatos; supposita tamen tali elevatione, ejus potentia sit proxima, & proportionata, & immediate concurrat, ac sufficienter in ordine suo, sicut aliae causae secundae cum prima ad suos effectus; quare si Deus talem concursum denegaret, aliqua sequeretur violentia, & innaturalitas, quae in aeternum duraret.

QUESTIO OCTAVA.

An visio beata possit esse passiva, ita ut possit per eam videri essentia, non visis personis, vel attributis.

215 Utitulus quæstionis indicat, controversia non est de facto est, sed de potentia Dei absoluta, etenim de facto est veritas fidei indubitata, omnes beatos in patria videre Deum, sicut est, in tribus personis subsistentem, attributa, & omnia, quae formaliter sunt in ipso ex natura rei, saltem quoad perfectionem absolutam, quam important, praeriscindendo a respectibus rationis, quos quaedam attributa fundare intelliguntur.

tur, vel terminare comparatione creaturarum, ut solet dici de scientia, & omnipotentia, quatenus fundat respectum rationis ad res omnes cibiles, & potibiles; quod pluribus ostendit ex Scriptura, Conciliis, & Patribus Lustrantibus lib. 4. qu. 14. art. 1. & Smiling, tr. 2. disp. 6. qu. 5. Suarez cap. 22. & alii passim. Nec nos turbare debet difficultas de Ideis, quæ à parte rei censentur esse in Deo, & tamen ex vi beatae visionis à Beatis de facto non videntur, etenim non formaliter, ac veluti subjectivē possibilis fecundatio cognita, ut dicitur est disp. 3. qu. 2. Neque sermo tantum est de praeriscindendo formalibus, quas solas admittunt praeriscindendo in creatis Neoterici quidam juxta Nominatum dogmata, sed etiam de objectivis, quæ esse necessitatis, admittendas, tam in divinis, quam in creatis contra illos ostentiam sine objectivis; itaque visio beata erit passiva, si per eam videtur objectum beatificum secundum unam formalitatem, quin videretur secundum aliam, ut verbi gratia, si posset videri essentia, non visis attributis, vel relationibus, talis namque visio utique praeriscinda dicitur, si enim tendens in solam essentiam diceretur praeriscindere à relationibus, vel attributis, quia per eam non attingeretur quod si necessario per eam videri debet objectum secundum omnem formalitatem in ipso inclusam, & à parte rei repertam, scilicet cum omnibus attributis, & relationibus, praeriscinda planè dicitur non potest.

217 Negantem partem pugnantissimè patitur Thom. dicentes, nec de potentia absoluta fieri posse, ut videatur divina essentia sine personis, vel sine aliquo attributo, vel una perfectio sine alia, vel una persona sine alia; ita Bannes p. 1. qu. 12. art. 7. Zumei ibi disp. 2. Nazarius, Basolus Molina art. 8. disp. 4. Cajet. 2.2. qu. 2. art. 8. Scotus 4. d. 49. q. 3. art. 3. Suarez lib. 2. de attributis c. 22. & 23. Beccan. c. 9. qu. 12. Vasquez disp. 48. Machin, disp. 19. Lezana tr. 3. disp. 3. q. 2. Amicus disp. 9. sec. 18. & alii passim, licet in fundamentum non satis conveniant, ut patet apud Amicum cit. ubi plures aliorum rationes rejicit, ut inuisiles. Affirmantem docuit Scotus cum suis 1. d. 1. qu. 2. art. 2. ubi Mairon, Licher, Basolus, Burgius, Vigerius, Faber p. disp. 9. cap. 3. Rada part. 1. controverſ. 6. Gallus in 3. d. 14. q. 1. prælod. 4. disp. 2. sec. 4. & probabiliorē putat Lufitan. citat. art. 3. Poncius disp. 4. q. 6. Vulpes disp. 26. art. 1. Smiling, tract. cit. Sghemma tit. 32. qu. 5. & alii Scotistae passim, quorum praecipuum fundamentum videtur esse formalis distinctio ex natura rei attributorum, & personalitatum ab essentia, nam quæ sunt à parte rei saltem, formaliter distincta, possunt distinctis actibus intuitivē cognosci, ut fuso ostendi disp. 6. Met. q. 17. ubi statuitur, per actus intuitivos fieri posse perfectionem inter plures ejusdem rei formalitates, etiam si inter se realiter identificatas, dummodo sit formaliter inter se ex natura rei distincte, qua ratione ibi talem perfectionem ad mittimus inter gradus metaphysicos, ut inter animalitatem, & rationalitatem; Hanc eandem sententiam sequuntur etiam quidam Neoterici, etiam si talem distinctiōnem non agnoscat inter essentiam, & personalitates, ac attributa, sed solam virtuales, hanc enim putant sufficere, ut possit essentia videri sine personalitatibus, & attributis, atque unum attributum sine alio; ita Aversa quæst. 12. sec. 23. Salas tom. 1. in part. 2. quæst. 5. tract. 2. disp. 4. sec. 2. Grand. p. 1. tom. 1. controverſ. 1. trac. 5. disp. 7. Hurtad. in Met. disp. 6. sec. 6. Ariaggi disp. sec. 6. admittit, posse divinitus videri essentiam sine attributis, & intellectum sine voluntate, quia inter hæc distinctiōnem saltem virtuales agnoscat; negat verò de essentia in ordine ad attributa, & de attributis invicem comparatis, quia enim inter ista nec quidem virtuales distinctiōne reperitur, sit, omnia necessaria videri debere, si unum videretur; Ad idem Aversa, quod non potest per illam visionem, quæ de facto est in Beatis, ita videri Deum, ut non viderentur omnia, quæ in ipso sunt formaliter, sed si esse possibilis visio inadæquata, quia non viderentur omnia, quæ sunt formaliter in Deo, esse diversæ rationis à visione, quæ de facto est in Beatis, cui consentit Smiling, loc. cit. n. 112.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur Quæstio.

218 Dicendum est, etiam stante summa reali identitate, & simplicitate omnium, quæ sunt in Deo cum essentia ejus, adhuc possibile esse de potentia Dei absoluta, ita videri Deum, ut non viderentur omnia, quæ sunt formaliter in Deo, posseque videri essentiam sine personis, & in essentia unam perfectionem sine alia, & inter personas pariter unam sine alia. Fundamentum commune Auctoribus secundae sententiae ex Scoto desumptum quamvis loc. cit. eo non utatur, quia nondum statuerat formalem distinctiōnem inter essentiam, & relationes

est, quia de facto, & realiter aliquid convenit essentiae, vel alicui divinae perfectioni à parte rei, quod non convenit relationibus, aliique perfectionibus, non obstante summa earum reali identitate; ergo sic etiam poterit essentia, vel aliqua perfectio Dei terminare visionem intellectus creati, per quam non simul alia omnia viderentur; antecessens est doctrina fidei, communicatur enim essentia divina personis productis, & non communicatur paternitas, nec filiatione; Patet per intellectum generat Filium, & non per voluntatem; per voluntatem spirat Spiritum Sanctum, & non per intellectum; unio hypostatica in Christo immediate terminatur ad solam Verbi personam, & non ad essentiam, neque ad alias personas; quæ omnia salvantur per distinctiōnem formalem ex natura rei, à Scoto positam inter essentiam, & relationes, ac etiam inter essentiam, & attributa, & inter hæc quoque invicem comparata, & Recentiores præterunt salvari per solam virtuales; ergo eadem distinctiōne sufficiens erit pariter, ut essentia divina possit terminare visionem intellectus creati, etiam si non terminetur ad alia in ipsa inclusa ex natura rei per eam identitatem; consequentia patet, quia iuxta rationem naturalem difficultiora apparent assumpta in antecedente, quam deductum in consequente, siquidem illa indicant diversitatem aliquam intrinsecam in Deo, sed per actum visionis solum extrinsecè attingitur Deus ab intellectu creato. Hæc est ratio præcipua, quam adhibet Recentiores cum Scoto ad probandam conclusionem; quæ quomodo illis suffragetur negantibus inter essentiam, & relationes, & attributa formalem distinctiōnem ex natura rei, & solam admittentes distinctiōnem ex natura rei, & solam admittentes distinctiōnem virtuales, vel rationis ratiocinatione, non satis video, quandoquidem, ut ex professo tractavi in disp. 2. qu. 1. contradictoria prædicantur in antecedente assumpta, cum actu ex natura rei verificantur, citra omnem intellectus operationem de essentia, & relationibus, & non virtualiter, vel fundamentaliter tantum, planè majorem inferunt distinctiōnem inter illa extrema, quam solam virtuales, aut rationis ratiocinatione, siquidem contradictio talis est nature, ut talem inferat, & arguit distinctiōnem inter extrema, de quibus verificatur, quibus omnino ipsa est, non majorem, nec minorem, ut fuso loc. cit. diffusum est; ergo sola distinctiōne virtualis, vel rationis ratiocinatione non sufficit ad ea contradictoria salvanda, neque pariter sufficiens erit ad salvandum, quod essentia possit terminare visionem intellectus creati, quam non terminent relationes, & attributa illi omnino identificata sine repugnantia.

Hinc etiam non video, quæ ratione voluerit Poncius, ut hoc fundamentum, abstrahendo à distinctiōne formali, quæ est in controverſa, sola contentus distinctiōne virtuali, imò rationis, sic arguens, ita fe habet divina essentia ad relationes, & attributa, quomodo oblique distinguantur, sive formaliter, sive virtualiter, sive ratione, ut relationes possint immediate terminare realem unionem, sine eo, quod essentia illam terminet; ergo essentia potest videri sine relationibus, & attributis quomodo oblique distinguantur ab ipsis, quæcunque enim distinctiōne sufficit ad unum, sufficit ad alterum. Planè satis inconsulto assumit illud antecessens, ut verum (nisi forte assumat ad hominem) quia secundum veritatem, & præsertim in schola nostra distinctiōne virtualis, & tantò minus rationis, sufficiens non est, ut relationes possint à parte rei terminare realem unionem, sine eo, quod essentia illam terminet; quia contradictio est actualis à parte rei, ergo ad eam salvandam absque repugnantia, extrema, inter quæ versatur, supponi debent pluraquam ratione, ac virtualiter distincta. Tum quia late probatum est disp. 6. Met. q. 17. per actus intuitivos distinctiōnem rationis fieri non posse, quævisque illa fuerit, sive rationis ratiocinantis, sive ratiocinatae, quia distinctiōne rationis ponit aliquid in objecto, quod non habet à parte rei, nam facit ipsum distinctum, & multiplex, cum tale non sit à parte rei; sed cognitio intuitiva non ponit aliquid in objecto, quod non reperitur in ipso à parte rei, alioquin aliter illud representaret, ac sic à parte rei; ergo distinctiōne rationis in objecto, & cognitio ejusdem intuitiva omnino repugnant; Tum quia quantumcumque concedatur, notitiam intuitivam posse esse aliquo pacto inadæquatam, & præcisivam, nunquam tamen potest hinc sufficienter probari, quod præcisio facta per ipsam inter plures formalitates, vel prædicata ejusdem rei, possit haberi beneficio solius distinctiōnem rationis ratiocinantis, vel ratiocinatae, nam de ratione notitiae intuitivæ est, quod exprimit objectum, in quod tendit, ut est à parte rei, sed exprimit distinctum per rationem, & multiplex, quod est unum, & idem omnino à parte rei, non exprimit id, quod convenit objecto à parte rei, sed tantum per operationem intellectus 1. ergo &c.

200 Dices, notitiam intuitivam exprimit rem, sicut est, non tamen semper adæquatè, unde si res habeat distinctiōnem virtuales,